diſtrictæ ultioni ſubjaceat; Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti; quatenus & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Innocentii PP. ſubſcriptio.

EGO INNOCENTIUS Catholicæ Eccl. Epiſc.

Dat. die 5. Novemb. anno Domini 1131. Pontif. ann. II.

Datum Remis per manum Aymerici S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarii, Nonis Novembris Indict. IX. Incarn. Dom. ann. MCXXXI. Pontif. vero Domni Innoc. II. PP. anno II.

VII.

Confirmatio Concordiæ initæ inter Abbatem ſancti Ægidii & Abbatem Cluniacenſem, cui pro compenſatione expenſarum ceditur obedientia de Limanz.

Ex Biblioth. Cluniac-Martini Marrier col. 1395.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Petro Cluniacenſi Abbati, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis, in perpetuum.

QUÆ ad pacem ſpectant Eccleſiæ, libenti animo ſtatuere volumus, & ut futuris temporibus inviolabiliter obſerventur, attentâ diligentiâ providere. Litem ſiquidem & controverſiam, tu, cariſſime in Domino fili Petre Abbas, & Cluniacenſe Monaſterium adverſus dilectum filium noſtrum Petrum Abbatem S. Ægidii, & Monaſterium ſuum, diutiùs agitaſti. Tu enim de ſubjectione tibi, & prædeceſſoribus tuis, per Apoſtolicam Sedem conceſſa, eos impetebas. Ille vero antiquam libertatem ſui Monaſterii intendebat. Quæ tandem in noſtra, & fratrum noſtrorum Epiſcoporum Cardinalium præſentiâ, apud Beliocum eſt hoc ordine terminata, ut videlicet, ſi quod abſit, religionis Ordo in Monaſterio S. Ægidii imminutus fuerit, ibidem tuo, & ſucceſſorum tuorum præcepto & conſilio reformetur. Si quando verò te, vel ſucceſſores tuos ad idem Monaſterium ire contigerit, reverenter ſuſcipiamini; & quamdiu ibi fueritis, cum veſtris omnibus honeſtè procuremini. Reſidendi quoque in Sede ejuſdem Abbatis, & capitulum regendi, prædicto Abbate, vel ſucceſſoribus tranſmigrantibus, fratres Monaſterii S. Ægidii eligendi de congregatione ſua Abbatem abſque impedimento habeant libertatem: ita tamen, ut ipſis pro Abbate, qui ad aliud tranſierit Monaſterium, de nullo alio, præter quam de Clun. Monaſterio Paſtorem aſſumere liceat: Quo nimirum defuncto, vel etiam remoto de Congregatione ſua, Abbatem, cum prædicto tamen tenore, eamdem habeant facultatem. Pro recompenſatione quoque fatigationum expenſarumque quas nimirum tu, vel prædeceſſores tui, pro Monaſterio S. Ægidii pertuliſti, idem Abbas, conſenſu fratrum ſuorum, obedientiam, quæ Limantium nuncupatur, cum pertinentiis ſuis, tibi, & per te Cluniacenſi Monaſterio donavit, & in jus ejus ac in proprietatem in perpetuum tranſtulit. Quod ſi quis vos ſuper eadem obedientia moleſtaverit, præfatus Abbas, ſe ac ſucceſſores ſuos ſecundum juſtitiam auctores & defenſores conſtituit. Tu vero, dilecte fili Petre Abbas, præter ea, quæ dicta ſunt, querimoniæ, quam adverſus Monaſterium S. Ægidii habebas, habito fratrum tuorum conſilio, in perpetuum renunciaſti. Statutum etiam eſt, ut ſi Cluniacenſe Monaſterium ſuper Monaſterio S. Ægidii haberet aliqua privilegia, vel Cœnobium S. Ægidii ſuper Limantio, utrimque reddantur. Si qua vero extant generalia, nullum in hoc vigorem obtineant. Auctoritate igitur Dei, & noſtrâ, præcipimus, ut prædicta conventio abſque ullius contradictione irrefragabiliter perpetim obſervetur. Si quis vero prædictæ concordiæ in hunc noſtræ confirmationis* contraire præſumpſerit, indignationem beatorum Petri & Pauli, ac noſtram, incurrat, & ab incæpto fruſtretur.

Series controverſiæ.

Quæ facta compoſitio.

Obedientia de Limanz data Cluniac. pro compenſatione expénſarum.

Confirmatur conventio.

* adde tenorem.

Innocentii PP.

EGO INNOCENTIUS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſs.

& S. R. E. Cardd. ſubſcriptiones

Ego Matthęus Albanenſis Epiſcopus ſs.
Ego Romanus Diac. Cardin. S. Mariæ in Porticu, Noles ſs.
Ego Johannes tit. S. Chryſogoni Presbyt. Card. ſs.
Ego Gregorius Diac. Card. SS. Sergii & Bacchi ſs.
Ego Lucas Presbyter Card. tit. SS. Johannis, & Pauli ſs.
Ego Otto Diaconus Card. S. Georgii ſs.
Ego Guido Diaconus Card. SS. Coſmæ & Damiani ſs.

Dat. die 22. Februarii anno Domini 1132. Pontif. anno III.

Datum Valentiæ per manum Aymerici ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Card. & Cancell. VIII. Kal. Martii, Incarn. Dominicæ anno MCXXXII. Pontificatus vero Domni Innocentii Papæ II. anno III.

VIII.

Confirmatio bonorum omnium, & privilegiorum Trenorcienſis Monaſterii.

Ex Authographo edidit Chifffletius in Probationibus Hiſt. Trenorcien. pag. 418.

Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto in Chriſto filio Petro Trenortienſi, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis, in perpetuum.

Exordium

QUotieſcumque illud a nobis petitur, quod rationi cognoſcitur convenire, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum impertiri ſuffragium. Proinde, dilecte in Domino fili, Petre Abbas, tuis rationabilibus poſtulationibus aſſenſum præbentes, Trenortienſe Monaſterium, cui Deo auctore præeſſe dinoſceris, ad exemplar prædeceſſorum noſtrorum, Romanorum Pontificum, Apoſtolicæ Sedis patrocinio communimus. Per præſentis igitur privilegii paginam Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut quæcumque bona, quæcumque poſſeſſiones Catholicorum Imperatorum, ſeu cæterorum Principum largitione, Epiſcoporum conceſſione, ſeu cæterorum fidelium oblatione, ad idem Cœnobium legitime impræſentiarum pertinent, ſive in futurum juſtè poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Sane diffinitionem, quam inter veſtrum & Beati Florentii Monaſterium de Eccleſiis Sanctæ Crucis, & Sancti Nicolai, a dominis prædeceſſoribus noſtris, ſanctæ memoriæ Urbano, atque Calixto, ex eorum ſcriptis factam cognovimus, auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmamus. Ad hæc adjicimus, ut idem locus, in quo Beati Valeriani Martyris, & Sancti Philiberti Confeſſoris corpora requieſcunt, ab omni jugo ſæcularis poteſtatis liber in perpetuum conſervetur. Nec Epiſcopo liceat cujuſcumque diœceſis, eumdem excommunicationis, abſolutionis, vel cujuslibet diſpoſitionis occaſionibus perturbare: aut cruces, ſeu quaslibet exactiones novas burgo & cæteris Monaſterii poſſeſſionibus irrogare. Miſſas quoque in eodem Monaſterio publicas celebrari, vel ſtationes ab Epiſcopo præter Abbatis vel fratrum voluntatem fieri prohibemus. Præterea pro reverentia beatę Mariæ Matris Domini, cujus nomine locus veſter inſignitus eſt, in Annunciatione dominica hymnum angelicum inter Miſſarum ſolemnia Abbati vel fratribus pronunciare concedimus. Obeunte autem ejuſdem loci Abbate, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel pars conſilii ſanioris, ſecundùm Deum, & beati Benedicti regulam, providerint eligendum: ab Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo, vel ejus Legato, conſecrandum. Nulli ergo hominum omnino fas ſit, prænominatum Cœnobium perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione & ſubſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam venire temptaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat; Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia ęternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Bona ad Monaſter. pertinentia confirmantur.

Sententiam Prædeceſſorũ Pontif. ſuper controverſia duarum Eccleſiarum approbatur;

Eccleſia SS. Valeriani & Philiberti libera ab omni epiſcopali jure declaratur.

Abbates a ſolis Monachis eligi jubet;

Solitumque immunitatis decretum ſtatuit,

Cum clauſulis conſuetis.

Innocentii PP.

EGO INNOCENTIUS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

& S. R. E. Cardd. ſubſcriptiones.

Ego Lucas Presbyter Cardinalis, tituli ſanctorum Johannis & Pauli ſubſcripſi.
Ego Romanus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu ſubſcripſi.
Ego Gregorius Diaconus Cardinalis ſanctorum Sergii & Bacchi ſubſcripſi.
Ego Otto Diaconus Cardinalis ſancti Georgii ſubſcripſi,
Ego Guido Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ & Damiani ſubſcripſi.

Dat. die 16. Martii anno Dom. 1132. Pont. ann. III.

Datum Valentiæ, per manum Aymerici ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, XVII. Kalendas Aprilis, Indictione X. Incarnationis Dominicę anno MCXXXII. Pontificatus vero Domni Innocentii Papæ II. anno III.

IX.

Confirmatio veterum Privilegiorum omnium, Aquilejenſi Eccleſiæ, ejuſque Patriarchis a ſummis Romanis Pontificibus conceſſorum.

Ex Ughell. Ital. Sac. To. V. ubi de Hiſtoria Patriarchalis hujus Eccleſiæ.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Peregrino Aquilejenſi Patriarchæ, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis, in perpetuum.

Proemium.

DOmus Domini decora, circumamicta varietate, columnas habet, alias in ſummo ſplendore poſitas, alias in medio, alias in ultimo collocatas. Sancta namque Romana Eccleſia, quæ ab ipſo Salvatore per beatum Petrum Principatum obtinuit, opifices ſuos, alios Epiſcopos inſtituit, qui Clero præeſſent, & populorum curam animarum gererent: alios Archiepiſcopos, qui Epiſcopis manum conſecrationis imponerent, & jura dantes poteſtate Metropolica concilia celebrarent: alios Primates, qui ſoli Romano ſubeſſent Pontifici, & ſuper Archiepiſcopos, & Provincias Primatum haberent. Ea propter, dilecte Frater in Chriſto Peregrine, Aquilejenſis Patriarcha, tibi, & per te ſanctæ Aquilejenſi Eccleſiæ, cui, auctore Deo prǽeſſe dinoſceris, poteſtatem ſuper ſexdecim Epiſcopatus, videlicet Polenſem, Tergeſtinum, Parentinum, Petenenſem, Emonenſem, Concordienſem, Tarviſienſem, Cenetenſem, Belonenſem, Feltrenſem, Paduanum, Vicentinum, Tridentinum, Mantuanum, Veronenſem, Cumanum, Metropolitico jure concedimus; Abbatias quoque, ſcilicet Oſciacenſem, Moſicenſem, Roſacienſem, Belinienſem, Sextenſem, Prienſem, ſanctam Mariam ad Organum, tibi & tuis ſucceſſoribus duximus roborandas. Pallei vero uſum, Rationalis, atque Nacci, qui Prędeceſſoribus tuis pro ipſius Eccleſiæ dignitate a noſtris Anteceſſoribus eſt conceſſus, nos tam tibi quàm tuis ſucceſſoribus confirmamus, his videlicet diebus, qui in Eccleſiæ tuæ privilegiis continentur. Sane quòcumque perrexeris, Crucem te & tuos ſucceſſores deferendi, licentiam, auctoritate Beati Petri, & noſtrâ, largimur. Porro Comitatus, Marchiam, & Ducatum, regalibus ſeu imperialibus privilegiis Eccleſiæ tuæ conceſſa, nos quoque præſentis decreti ſanctione nihilominus roboramus. Statuimus etiam, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona Aquilejenſis Eccleſia impræſentiarum juſtè, & legitimè poſſidet, aut in futurum, prędtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, & illibata permaneant: ſalvo nimirum in omnibus ſanctæ Romanę Eccleſię jure ac reverentiâ. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat, præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; ſed omnia integrè conſerventur eorum, pro quorum gubernatione & ſubſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura.

Patriarchæ Aquilejen. juriſditio in ſexdecim Epiſcopatus.

Pallii uſus,

& Crucis delatio ante ſe confirmatur;

Item & bona omnia ad eãdem Eccleſiam ſpectantia.

Decretum immunitatis ab omni externa moleſtia,

Si

Et confirmationis privilegii hujus ſub ſolitis clauſulis.

Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtrę conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata cognoſcat iniquitate, & a ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei ac Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictę ultioni ſubjaceat; Cunctis autem eidem Eccleſiæ juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Innocentii PP.

EGO INNOCENTIUS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Et S. R. E. Cardd. ſubſcriptiones.

Ego Ubertus Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis ſubſcripſi.
Ego Anſelmus Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentii in Lucina ſubſcripſi.
Ego Sozilinus Presbyter Cardinalis tit. S. Ceciliæ ſubſcripſi.
Ego Lucas Presbyter Cardinalis tituli ſanctorum Johannis & Pauli ſubſcripſi.
Ego Romanus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ inPorticu ſubſcripſi.
Ego Gregorius Diaconus Cardinalis ſanctorum Sergii & Bacchi ſubſcripſi.
Ego Stephanus Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Orphea ſubſcripſi.
Ego Otto Diaconus Cardinalis S. Georgii ad velum aureum ſubſcripſi.

Dat. die 29. Junii anno Dom. 1132. Pontif. anno III.

Datum Placentiæ, per manum Aymerici ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis, & Cancellarii, III. Kal. Julii Ind. X. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXII. Pontificatus vero D. Innocentii Papæ II. anno III.

X.

Decretum excommunicationis latæ ſententiæ contra auferentes bona, ad Cluniacenſe Monaſterium, vel ad Monachorum ejus, uſum pertinentia.

Edidit Marrier Biblioth. Cluniac. col. 1380.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, diſcreto filio Petro Cluniacenſi Abbati, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis, in perpetuum.

Exordium.

Liberalitatis laudabile genus eſt, ut qui ſe beato Petro, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, humili devotione exponunt, majorem familiaritatis prærogativam, & digniora beneficia ſortiantur. Quàm gratum Deo Cluniacenſe Monaſterium famulatum impendat, & quantum apud homines nitore religionis fulgeat, Eccleſia Dei novit, & vehementer exultat. Æquitatis igitur poſtulat ratio, ut idem locus Apoſtolicæ dilectionis privilegio gaudeat, & tam in capite, quam in membris libertatem obtineat. Hoc ſiquidem Monaſterium ipſum, quod ſpecialiter ad jus beati Petri, & S. Romanæ ſpectat Eccleſiæ, per nos ipſos viſitavimus;

Monaſt. Cluniac. viſitavit Innocentius PP. cum eſſet in minoribus.

& eodem die, quo revolutis multorum annorum ſpatiis prædeceſſor noſter felicis memoriæ Papa Urbanus ibidem majus altare conſecraverat, cum Archiepiſcopis, & Epiſcopis, qui nobiſcum convenerant, cooperante Spiritus Sancti gratiâ, idem Monaſterium ſolemniter dedicavimus.

Dedicavit.

Devotioni quoque & humilitati fidelium, qui pro amore Dei, & ipſius loci reverentiâ, in anniverſario dedicationis illuc conveniunt, proſpicientes, ipſis quadraginta dies pœnitentiæ ſibi injunctæ, de gratia Dei confiſi, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate remiſimus.

Et indulgentiam 40. dierum in anniverſario dedicationis viſitantibus conceſſit.

Statuimus etiam, ut immunitas ejuſdem Cœnobii inviolata & integra futuris temporibus conſervetur. Et ſi quis infra terminos agri, qui ab eodem prædeceſſore noſtro circa Cluniacum conſtituti ſunt, ſcienter homines capere, vulnerare, vel res dicti Cœnobii violenter auferre præſumpſerit, excommunicationis ſententiâ ſit innodatus, & tamdiu excommunicatus maneat quouſque ablata reſtituat, & Cluniacenſibus monachis de illata injuria congruè ſatisfaciat.

Excommunicationis lat. ſentent. pœna contra eos, qui res Monaſt. hujus abſtulerint:

Ad hoc adjicientes decrevimus, ut quicumque Cluniacenſes monachos, vel eorum Socios ceperint, aut ea, quæ portaverint, vel conduxerint, excommunicationi etiam ſubjaceant.

Monachos, vel ea, quæ portaverint, ceperint.

Si vero aliqui abſque ipſorum monachorum præſentia, ea quæ ad victum vel veſtitum fratrum in Cluniacenſi Cœnobio Deo ſervientium pertinent, alicubi deprædati fuerint, niſi infra decem dies ablata reſtituerint, eos anathemati ipſo facto ſubjacere præcipimus, & in terra eorum divina prohibemus officia celebrari.

Vel ea, quæ ad victum, vel veſtitum Monach. pertinent, deprædati fuerint:

Loca quoque, in quibus ſe receperint, quamdiu præſentes fuerint, a divinis obſequiis præter infantium baptiſma, & morientium pœnitentias, ceſſare jubemus, & nullus eorumdem præſumptorum, niſi a ſolo Romano Pontifice, abſolvatur.

Loca vero, in quibus hujuſmodi raptores ſe receperint, a ſacris ſuſpendantur præter baptiſma infantium, & confeſſiones morientium. Illi vero a ſolo Pontifice abſolvi poſſint.

Porro quiſquis præfatis fratribus ubicumque manentibus, quælibet alia, præter ea, quę ſuperius enumeravimus, violenter abſtulerit, niſi infra decem dies ablata reſtituerit, excommunicationi ſubjaceat; nec abſolvatur, donec capitale reddat, & congruè ſatisfaciat. Sane Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in quorum Parochiis hoc perpetratum fuerit, auctoritate beati Petri & noſtrâ pręcipimus, ut poſtquam clamor ad aures eorum pervenerit, vel malefactum innotuerit, præſcriptam excommunicationis ſententiam, tepiditate ſepoſita, faciant obſervari.

Cujus Decreti obſervātiæ teneantur invigilare Archiep. vel Epiſcopi locorum.

Innocentii PP. ſubſcriptio.

EGO INNOCENTIUS Catholicæ Eccleſię Epiſcopus.

Dat. die 2. Martii anno Dom. 1133. Pont. an. IV

Datum Viennæ per manum Aymerici Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diac. Cardinalis & Cancellarii, Indictione XI. Pontificatus noſtri anno quarto, VI. Nonas Martii.

Diplo-

X I.

Diploma confirmationis bonorum Eccleſiæ, & Comitatus Ferrarienſis, quibus nonnulla concęduntur privilegia.

Ex Codd. Vatic.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Landulpho Epiſcopo, Conſulibus, & Populo Ferrarienſi, in perpetuum.

Proemium.

Ad hoc in Apoſtolicæ Sedis Cathedra, diſponente Domino, conſtituti eſſe conſpicimur, ut juſtis poſtulationibus liberiori animo præbeamus aſſenſum; & quos devotiores ad noſtrum obſequium, & ſanctæ Romanæ Eccleſię ſpecialiùs adhærere cognoſcimus, ſcilicet ejuſdem piæ Matris gremio familiariùs confovere curemus. Quia igitur vos, dilecti in Domino filii, beato Petro & nobis, qui, licèt indigni, ipſius vice fungimur, noſtriſque ſucceſſoribus omnem obedientiam, & gratum obſequium exhibituros promiſiſtis, prædeceſſorum noſtrorum ſanctæ recordationis Hadriani, Benedicti, & Paſchalis, Romanorum Pontificum, inhærentes veſtigiis, Ferrarienſem Eccleſiam, tamquam ſpecialem Apoſtolicæ Sedis filiam, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ patrocinio communimus, & ei fundos ſuos præſentis privilegii paginâ roboramus: in quibus hæc propriis nominibus adnotanda ſubjunximus:

Ferrarienſis Eccleſia ſpecialis Rom. Eccleſiæ filia:

Ei bona, ſeu fundi confirmantur:

Maſſam videlicet Babylonicam, quæ vocatur Ferraria, cum duodecim fundis ſuis, cui duodecim alias Maſſas noſtras minores cum omni obedientia ac ſervitute ſubjugamus, ideſt Maſſam & ripam Palatiolus cum duodecim fundis ſuis, & Maſſam Conſtantiacus cum duodecim fundis ſuis, ſimulque Maſſam Quartiſianam cum duodecim fundis ſuis, & ſimiliter Maſſam Popularem cum duodecim fundis ſuis, nec non Maſſam Curulum, & Maſſam Saletum cum viginti quatuor fundis ſuis, & Maſſam Senticam, & Taſtilionem cum fundis ſuis, maſſam quoque, quę vocatur Firmignana, cum omnibus fundis ſuis: quas maſſas cum omnibus ſuis pertinentiis, de dominio & jure atque poteſtate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, a pręfatis prædeceſſoribus noſtris Eccleſię Ferrariæ conceſſas, nos quoque eidem pręſentis decreti auctoritate firmas ſtatuentes, ut tam tibi, Frater Landulphe Epiſcope, quàm tuis etiam ſucceſſoribus in ſingulis maſſis Eccleſias cum Clericis, Diaconibus, & Presbyteris ordinandi, & conſecrandi licentia permittatur.

Fines Ferrarienſis comitatus deſcribuntur:

Termini autem Ferrarienſis Comitatus his finibus diſtinguuntur: ab Oriente ab una parte fluminis Padi, ab altera noſtra maſſa Phiſcalia, & Veteraria tranſeunt flumen Sandali uſque Bucciletum: per Bucciletum tranſeunt flumen Gabianam per Ludurium, circundant villam magnam Madrariam, pervenientes uſque Malletum: a Malleto pergunt juxta arginem Anxianum per paludes piſcarias uſque Vitricam, & tranſeuntes Vitricam perveniunt uſque foſſam Buranam, & inde exeunt in Padum, & deſcendunt uſque ad Occidentem uſque Ulmum formoſam, quæ certa finis inter Romaniam, & Langobardiam; Ab altera autem fluminis parte fines ſunt ſimiliter: ab Oriente Callis de fine, qui terminus eſt inter noſtrum Comitatum Comaclenſem, & extendunt ſe per paludes & piſcarias uſque ad foſſatum Silvulæ, & circumdant maſſam Corneti & Lacinanus, quæ de noſtro Comitatu Ferrariæ ſunt: deſcendentes inde ad Occidentem per paludes & piſcarias uſque flumen Tartari, exeunt uſque in flumen Padi.

De decimis teloneo, fodro &c. aliqua eidem condonantur Eccleſiæ, alia Romanæ reſervantur.

Porro habitatoribus ipſius maſſæ Majoris Ferrariæ pravas & malas conſuetudines amovemus, niſi tamen, ſicuti ſoliti ſunt, ad ſuffragium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ per eorum nuncium unaquaque libera perſona de moneta Venetiarum denarios ſingulos juxta antiquam conſuetudinem dabit. Cenſus vero, & tributi, atque telonei de ripa & flumine, unam medietatem pro benedictione ad communem utilitatem, & meliorationem ſeu reſtaurationem jam dictæ majoris maſſæ concedimus: alteram verò medietatem ad noſtras manus reſervamus. Similiter Telonei de mercato unam medietatem nobis retinemus, alteram vero pręfato noſtro Ferrariæ Epiſcopo condonamus. Placitum ſanè generale ſimiliter in dominio ac poteſtate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſervamus, ut videlicet coram noſtro Nuncio, ſemel in anno faciente juſtitiam, ab omnibus per tres dies cuſtodiatur. Collectam vero vel fodrum, aut pravam vel injuſtam functionem, aut dationem, ſeu conſuetudinem nequaquam exigimus; ſcilicet omnia pro Dei timore atque amore præfatæ noſtræ ſanctæ Eccleſiæ beati Georgii, omnibus habitatoribus ipſius majoris maſſæ pepercimus, aliaſque minores maſſas ei, ſicut ſupradictum eſt, cum omnibus ſuis ſervitutibus ſubjugamus. Præterea veſtræ devotionis deſiderio annuentes, præfatos Comitatus Ferrariæ, & generale civitatis placitum, ac Comacli riparum cum omni jure, quod infra Civitatem & Comitatum ad dominium ſanctæ Romanæ Eccleſię pertinet, alicui minime tribuemus, niſi aut communi civitatis veſtræ, aut Ferrarienſi Epiſcopatui; ita tamen, ut quantum exinde ab illis habere poterimus, vos beato Petro juſta compenſatione, bonorum ac ſapientum conſilio, perſolvatis.

In ipſo Comitatu Ferrarienſi & Comachlēſi nihil ſpeciali perſonæ reſervandum.

Ad hęc, de veſtra fidelitate atque ſervitio plurimum confidentes, offenſas illas, quas nobis & prædeceſſoribus noſtris intuliſtis, vobis ex benignitate Sedis Apoſtolicæ condonamus.

Ferrarienſi Populo offenſas in Deceſſores Pontiff. factas remittit.

Pro tantis itaque perceptis a Sede Apoſtolica beneficiis veſtra Univerſitas nobis noſtriſque ſucceſſoribus per proprium nuncium in commune ... juvabitque in civitate & toto Comitatu Ferrariæ juſtitiam beati Petri & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ nos & ſucceſſores noſtros recuperare, retinere, ac defendere bona fide juvabitis.

Illum tamen perpetuum Sedis Apoſt. adjutorem & defenſorem fore præcipit.

Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire temptaverit, aut Ferrarienſem Eccleſiam ſuper his, quæ dicta ſunt, minuere, aut ſanctæ Sedi Apoſtolicæ ſua in eis jura, quæ ſuperius ſignificata ſunt, auferre præſumpſerit, pœnæ & compoſitionis nomine reddat eidem ſanctæ Sedi Apoſtolicæ auri optimi libras centum: & niſi, quæ male præſumpta ſunt, ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictę ultioni ſubjaceat; Cunctis autem præfatis Eccleſiis juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Corporales, & ſpirituales pœnas conſtituit contra hujuſmodi bona auferentes vel alienantes &c.